

in nihilū redigatur, nec vllum corpus in quo sit longitudo & latitudo in nihilum vertitur. & si tu iungas illa, aer, quando extinguis ignem, totum vertitur in aquam: ergo ignis per vim vertitur in aquam, & sic potes scire quòd aer vertitur in ignem & aquam, & aqua in aerem, & ignis in aerem, & terra vertitur in ignem: & tu vides quòd de terra surgit puluis: ille puluis vertitur in aerem, & aer in ignem, & ignis vertitur in terram: quia tu scis quòd aer vertitur in ignem, & aer vertitur in aquam, & aqua (quando congelatur & calor tetigit eam) non potest cito deleri. & iam dictum est, quòd omnia elementa vertuntur in alia.

*Ostensio quòd omnia quæ sunt in mundo sunt de quatuor elementis.*

Modò ostendam tibi, quòd omnia quæ sunt in mundo, sunt compilata de istis quatuor elementis. Debes scire, quòd sunt res in quibus duo elementa sunt maiora, & duo in quibus vnum maius est, & tria minora: & sunt in quibus omnia æqualiter se habent. isti quatuor modi sunt aliquid, modo diuidã per diuersitates siue differentias siue partes.

*De diuersitatibus elementorum.*

Prima diuersitas est, quòd ignis & aer sunt maiora: secunda, quòd ignis & aer sunt minora: ter-